

1501 sulas oceani, atque ad innumeros continentis portus con-  
ventusque hominum profecti, sylvis felicibus odorum omni  
genere, ebore, argento, auro, gemmis beatos, se contulerunt: & Colocuete, oppido propter affluentem earum  
rerum, quas in primis quarebant atque adamabant, copiam maxime omnium opportuno, præliis secundis fa-  
ctis, & munitionibus institutis in potestatem redacto, eas  
regiones tenuerunt: Taprobanique insula multorum men-  
sium itinere post tergum relicta, quo nemo unquam penetra-  
vit, sui regis signa audacissime felicissimeque intulerunt.  
Tametsi majore omnino audacia, felicitate autem nunquam  
alias audita, si vixisset, Ernandus Maglajanes Lusitanus  
fuit, qui Hispaniæ regum opibus classe comparata, viæ  
initio in austrum se flectens, atque ultra medium cœli  
conversionem propter continentis terræ oras dextrorsum  
velificans, magno spatio ad polum versus peracto, ut il-  
lum longius altiorem, quam nobis noster sit, eo in itin-  
nere habuerit; & freti, quod nunc *Maglajanis* appellant,  
angustiis trecentorum millium passuum in longitudinem  
decursis; iterum ad medium cœli spatium se convertit:  
deinde ad auroræ populos atque insulas odoratarum arbo-  
rum plenas, quas Molucas appellant, medium comple-  
xus globi solidi spatium pervenit, ibique pugnans inter-  
iuit. Postremo illius comitatus per Lusitanorum partis  
oceani labore plurimo universi orbis terrarum naviga-  
tione triennio confecta, in Hispaniam rediit: cumque to-  
tius itineris enumeratis diebus rationem, quam in tabulis  
habebat, repetisset, uno sibi annos illos die longiores fa-  
ctos, de dierum nominibus domi audiens, reperit: qui  
omnino anni, si se is ad orientem, domo profectus, con-  
vertisset, ac contra solem usquequaque currens illud ipsum  
iter universum confecisset, uno breviores die redeunti sa-  
ne fuissent. semper enim tanto citius orienti soli occur-  
rens, quanto plus itineris post se circumvectus reliquisset,  
emenso demum totius terræ globo, die uno prius solem si-  
bi orientem, quam cum viæ se dederat, profecto habuisset.

Eodem fere tempore, quo legati Pascalici literæ ad Sé-  
natum

*Ernandus  
Maglaja-  
nes primus  
navigando  
totum cir-  
cuit terra-  
rum orbem.*